Theophanes A. Kakridis

Barbara Plautina

BARBARA PLAUTINA

SCRIPSIT

THEOPHANES A. KAKRIDIS

PHILOSOPHIAE DOCTOR

OB VENIAM LITTERAS LATINAS IN UNIVERSITATE
DOCENDI IMPETRANDAM

ATHENIS

EX OFFICINA L. VERJANITIS

MDCCCCIIII

MEAE UXORI MARIAE

O. CHATZIDAKI

QUAE MEORUM STUDIORUM FAVORE PATRIAM

MECUM TRIENNIUM DESIDERAVERIT

TH. K.

Terentius in prologo comoediae, quae Andria inscribitur, praemisso, cum se excuset de re, quam vituperatores sui sibi vitio darent, quod in vertendis graecis exemplaribus fabulas contaminavisset, dicit se, ut id faceret, Naevium, Plautum, Ennium auctores habuisse[1]. Hoc Terentii testimonium, ut omnia veterum scriptorum testimonia, est nobis maximi pretii, quamquam ex eo non certiores fimus, quae Plauti fabulae sint contaminatae necne; namque Terentius, qui pauca post Plautum decennia vixerit, poterat conferre comoedias Plautinas cum graecis fabulis, unde Plautus suas vertit; quod nobis a fortuna invisum est. Neque sunt nobis traditæ omnes comoediae Plautinae in ea forma, quam poeta eis dederat, sed multifariam demutatae[2]; quod rem per se difficilem, comoedias contaminatas ab incontaminatis secernere, difficiliorem fecit.

Plautus in vertendis graecis fabulis non modo transferebat ex aliis comoediis, quae convenirent in eam, quam vertere sibi instituisset, ut argumentum coacervaret[3], sed etiam totos locos i n t e g r o s relinquebat personis minoribus omissis[4]. Suntque etiam comoediae, quae sine ulla contaminatione e Graecis exemplaribus esse conversae videantur. Sed tam in his, quam in illis contaminatis sunt multa, quae in graecis exemplaribus esse nequeant. Cum Plautus in animo habe-

---

1) Terent. Andr. prol. 8 sq.

2) Leo, Plaut. Forsch. pag. 50. Brix, Einleit. zu Mil. glor. 11.

3) Leo, Plaut. Forsch. pag 83.

4) Casin. prol 65. Teren. Adelph prol. 9—10.

ret litteras Latinas augere publicoque Romano fabulas scribere, non expressit ad verbum e Graecis suas comoedias, sed in his vertendis usus est magna licentia[5]). Multa graecis romana adiecit [6]), multa cum illis commutavit, ut fabulae suae publico Romano magis placerent. Quamquam scaenae locus non commutatur, tamen in comoedia ipsa referuntur res, quae modo Romae sunt aut fieri possunt; neque in Aetolia, ubi scaena «Captivorum», est porta Trigemina[7]), neque Epidauri, ubi scaena «Curculionis», est Veneris Cloacinae sacrum[8]), neque Athenis, ubi scaena «Aululariae» est Silvani lucus [9]); neque Epidauri Graeci palliati capite operto ambulant, aut suffarcinati cum libris incedunt cum sportulis etc.[10]), neque Athenis lenae mercantur graeca fide [11]). Mutavit multa personarum nomina et titulos ipsos comoediarum[12]); addidit de suo multa nomina comice ficta, multos verborum lusus, multas adnominationes, allitterationes similiaque. Significavit multis locis leges romanas[13]), inseruit fabulis graecis romanos mores, nonnumquam loco alieno[14]). Ut in pauca conferam, Plautus commiscuit quod romanum erat cum graecis ita ut fabulae suae quam pote ῥωμαϊκώτεραι fierent[15]). Si Plautus

---

5) Lorenz Einl. zu Mostel. 25.
6) Leo ad Curcul. 265—269 al.
7) Captiv. 90.
8) Curcul. 470 sq.
9) Aulul. 674.
10) Curcul. 288 sq.
11) Asinar. 99.
12) cf. Stichus, Trinummus.
13) Pseud. 303. Capt. 492. Mil. 164—165 al.
14) Captiv. II, 2.
15) Laudem debitam habet Plautus a Friderico Leone, qui in suis illis egregiis Quaestionibus Plautinis, pag. 169, de opere Plautino haec censeat: «Plautus, und vor ihm Naevius, ist der Gefahr

fabulas graecas ita versasset, ut Livius Andronicus Odysseam vertit [16], ut Ennius «Medeam» et Pacuvius «Antiopam», quorum translationes erant ad verbum e graecis expressae [17]), neque lusuum verborum tanta apud eum ubertas esset neque ansam ad Plautum reprehendendum Horatius haberet, ut is cum antea praecepisset: vos exemplaria graeca nocturna versate manu, versate diurna, postea adderet: at vestri proavi Plautinos et numeros et laudavere sales, nimium patienter utrumque, ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos scimus inurbanum lepido seponere dicto legitimumque sonum digitis callemus et aure [18]). Quodsi Horatius Plautinos sales reprehendit, hoc est argumentum certum sales illos Flacco quidem non e graecis expressos, sed in solo romano a Plauto esse procreatos; nam Flaccus minime reprehendit salem Atticum, quem ipse quoque in satiris suis imitatus esse videatur [19]). Cum Plautus longum aetatis suae prioris tempus in scaena quippe comoediarum histrio

---

entgangen das römische Leben zu graecisiren; er hat das Spiegelbild des attischen Lebens wahrhaft romanisirt. So wird seine Kunst auch dann noch dauern, wenn einmal die freundliche Erde uns seine Originale wiederschenken wird und wir, um deren Eigenschaften zu erkennen, nicht mehr die verschlungenen Wege werden zu gehen brauchen, die ich den Leser habe führen müssen. Zu der Bedeutung eines blossen Sprachdenkmals werden die plautinischen Komödien niemals sinken».

16) cf. fragmenta Odysseae Livianae cum initio illius Homeri.

17) Cicer. de finibus I, 4.

18) Hor. Art. poet. 268 sq. cf. etiam Epist. II, 1, 170 sq: adspice Plautus quopacto partis tutetur amantis ephebi, ut patris attenti, lenonis ut insidiosi, quantus sit Dossenus edacibus in parasitis, quam non adstricto percurrat pulpita socco.

19) cf. Karsten-Schwach, Quintus Horatius Flaccus pag. 65.

consumpsisset, et linguae latinae tam peritus fuisset, ut ea sine ulla difficultate *ad delicias faciendas* uteretur, nullam datam ludendi occasionem omittebat, quin luderet, etiam si in exemplari graeco nullus lusus daretur; sed in hoc ludendi studio Plautus saepe finem transiit et praeter modum lusit, ut in Epid. I, 1, ubi Epidicus Thesprionem vocat «*Heus, adulescens*», ille quamquam a conservo pallio reprehensus non respicit ad vocantem sed interrogat: «*quis properantem me reprehendit pallio?*»; Epidicus respondet «*familiaris*»; Thesprio etiam a *familiari* vocatus non respicit, sed ludens in vocabulo «*familiaris*» addit: «*fateor; nam odio es familiariter*»; vix tandem cum Epidicus hortetur «*respice vero, Thesprio*», respicit ille, Epidicum agnoscit eumque salvere iubet. Hoc loco sine dubio Plautus fecit Thesprionem nimis tarde et praeter morem ad vocantem respicere modo ut luderet in vocabulis *familiaris — familiariter*, quibus etiam in «*Amphitruone*» lusit, v. 354 sq. *Nescio quam tu familiaris sis: nisi actutum hinc abis, familiaris accipiere faxo haud familiariter*». Eodem modo ludit in Captivis, 833 sq.: HEG. *Perlubet hunc hominem colloqui: Ergasile.* ERG. *Ergasilum qui vocat?* HEG. *Respice.* ERG. *Fortuna quod tibi nec facit nec faciet, me iubes* (scil. respicere ad te)· *sed quis est?* HEG. *Respice ad me, Hegio sum . . .*—Aliter lusit Plautus in Trinummo v. 1059 sq., Trucul. 115—121, Poen. 851—858 [20]. In

20) In Rudente 677 non lusit poeta; quodsi puellae quae vocantur, Palaestra et Ampelisca, tarde respiciunt, huius causa est timor magnus, in quo puellae sunt. Apud Terentium, Andr. 344. Phorm. 375. 847 sq. Adelph. 320, nullus lusus factus est.

Menaechmis II, 2 propter lusum factum sermo fit inconsequens :

CYL. Bene opsonavi atque ex mea sententia,
bonum anteponam prandium pransoribus.
sed eccum Menaechmum video. vae tergo meo,
prius iam convivae ambulant ante ostium,
quam ego opsonatu redeo. adibo atque alloquar.
Menaechme salve. MEN. Di te amabunt quisquis es.
CYL. Quisquis * < quis > ego sim ?
MEN. Non hercle vero. CYL. Ubi convivae ceteri ?
MEN. Quos tu convivas quaeris ? CYL. Parasitum tuom.
MEN. Meum parasitum ? certe hic insanust homo.
MESS Dixin tibi esse hic sycophantas plurumos ?
. . . . *(lacuna)*
MEN. Quem tu parasitum quaeris, adulescens, meum ?
MESS. Peniculum eccum in vidulo salvom fero.
CYL. Menaechme numero advenis ad prandium.
nunc opsonatu redeo . . . . .

In hac scaena Cylindrus, Erotii cocus, redit e foro cum prandio bono opsonato. Hic cum vidisset Menaechmum II s. Sosiclem, propter similitudinem pro Menaechmo erae suae amico habitum, ante ostium Erotii ambulare, familiariter iussit eum salvere. Menaechmus utpote ab ignoto salutatus respondet : Di te amabunt, quisquis es. Quod miratur Cylindrus : Quisquis . . . . . <quis> ego sim? Huius ducentesimi undeoctogesimi versus, qui mutilatus est in libris, sententia sine dubio est haec : «Quisquis sum? non tu scis, Menaechme, quis ego sim» (Leo). Postquam Menaechmus respondit : non hercle vero (te scio), Cylindrus rogat ubi sint ceteri convivae? Hanc interrogationem et quae sequuntur usque ad versum ducentesimum octogesimum septimum a Plauto esse intercalata, ut lusus fieret in vocabulis Peniculo — peniculo, ostendit non modo sermonis inconsequentia, quae est post verba Menaechmi «non hercle vero»[21]), et illa altera

21) Haec quae videtur inconsequentia potest quodam modo pro-

quae est post versum ducentesimum octogesimum sextum, sed etiam ipsa interrogatio «u b i c o n v i v a e c e t e r i ?» non suo loco posita. Nam quid opus erat ceteris convivis, ut Cylindrus rogaret, ubi ii essent, cum prandium nondum coctum esset? Praeterea verba quae in versu ducentesimo octogesimo septimo et sequenti dicuntur: M e n a e c h m e, n u m e r o h u c a d v e n i s a d p r a n d i u m· n u n c o p s o n a t u r e d e o: locum suum haberent, antequam Cylindrus de ceteris convivis rogaret. In graeco exemplari, quo aliud erat nomen parasiti [22]), neque lusus ullus fiebat, deerat sententia, quae in fabula Plautina inest in versibus 280—286 [23]).

---

bari, si verba Cylindri ita accipimus, ut antea intellegatur haec sententia: Aufer nunc ridicularia et dic mihi quaeso, ubi sint ceteri convivae?

22) cf. Brix-Niemeyer Einleit. zu Menaechmi pag. 9 et pag. 13 subn.

23) Locus Plautinus, quem supra consilio totum exscripsimus, est corruptus. In libris ceteris, praeter Ambrosianum, post versum: D i x i n t i b i e s s e h i c s y c o p h a n t a s p l u r u m o s? sequitur versus: Q u e m t u p a r a s i t u m q u a e r i s, a d u l e s c e n s, m e u m? sine ulla lacuna indicata; in codice vero Ambrosiano, quo versuum 284—309 «posteriores partes fere leguntur» (Leo), inter versus modo memoratos leguntur litterae quaedam et indicatur unius versus spatium. Huius versus sententia Schoellio erat haec: «CYL. Rides me, opinor; ne tu parasitum manes»: Brixio Cylindrus rogabat de parasito, ubi vel quo modo periisset, Leoni Cylindrus nominabat parasitum («Peniculum parasitum tuom»). Atqui si in versu corrupto Cylindrus parasitum nominasset, in versu sequenti Menaechmus non rogaret: «quem tu parasitum quaeris, adulescens, meum», sed sive: q u e m t u m i h i P e n i c u l u m n o m i n a s (s. praedicas), ut in Pseud. 1195: q u e m t u P s e u d o l u m, q u a s t u m i h i p r a e d i c a s f a l l a c i a s? in Curculione 546: q u o s t u m i h i l u s c o s l i b e r t o s, q u o s S u m m a n o s s o m n i a s? 613: Q u o d a r g e n t u m, q u a s t u m i h i t r i c a s n a r r a s? q u a m t u v i r g i n e m m e r e p o s c i s?, Menaechm. 281: Q u o s t u c o n v i v a s q u a e r i s?, sive: q u i s i s t e e s t P e n i c u l u s: cf. v. 391: Q u i s i s t e e s t P e n i-

Propter lusum verborum sermo fit inconsequens etiam in Curculione, v. 39 sq., 44 sq., Rud. 371 sq. In scaena tertia actus secundi «Curculionis», cum parasitus properet Phaedromum convenire isque valde cupiat certior fieri, quid ille in Caria fecerit, tamen nimis multa prius verba dicit quam Phaedromum de sua opera certiorem facit. In Cistellaria, IV,1, Lampadio cum primum eram suam videat (*sed eccam eram video*), postea tamen, ut *puerile officium faciat* neminem in via conspicatur. Haec inter se dissentiunt absque graeco poeta oriri nequeunt.

Nimio ludendi studio persaepe Plautus oblitus est

---

culus? qui extergentur baxeae? Pseud. 1193: *Quis iste est Pseudolus?* (De hoc genere dicendi plura videas apud Vahlenum, Indic. Berolin. MDCCCCII). Menaechmi interrogatio: *quem tu parasitum quaeris, adulescens, meum?* spectat sine dubio ad verba Cylindri: «*parasitum tuom*» (quaero) v. 281. Quodsi post versum: *dixin tibi esse hic sycophantas plurumos?* et ante versum: *Quem tu parasitum quaeris, adulescens, meum?* alius versus intercedebat, in hoc versu continuabatur oratio Messenionis, cuius sententia erat haec: «sed tu non voluisti mihi credere» vel «sed tu me minis insecutus es» (cf v. 375 sq.). Menaechmus, qui verba: *certe hic insanust homo:* ad Messenionem versus dicit, nunc, postquam Messenio dixerat: *dixin tibi esse hic sycophantas plurumos?* < sed tu me minis insecutus es >, vertit denuo se ad Cylindrum et rogat: *quem tu parasitum quaeris, adulescens, meum?* Nunc modo respondeat recte Cylindrus: Peniculum quaero. Si nunc res ita se habet, rectius Itali, quos Ussingius et Brixius sequuntur, vocabulum «*peniculum*» (v. 286) Cylindri esse putant. Cum tamen ita oratio non modo durior fiat, sed etiam verisimillimum sit Messenionem vocabulum, in quo lusum facit, iterasse, ut in Curculione v. 586—587: *Ubi nunc Curculionem inveniam? — In triti co facillume vel quingentos* CURCULIONES *pro uno faxo reperias,* nobis videtur post versum ducentesimum octogesimum quintum alter excidisse versus, qui incipiebat eodem vocabulo, quo versus sequens et cuius sententiam hanc putamus fuisse: Peniculum quaero ubi sit, qui tecum erat,

hominum, quos iocari facit. Non omnes homines cavillari decet, neque in omni re aut tempore. Attamen Plautus nullum iocandi modum retinet. Ita in Pœnulo, v. 279, erus Agorastocles facit delicias, quas de suo servo Milphione didicit. In Pseudolo, v. 90, certum est Calidoro, qui m i s e r e m i s e r est a n t e t e n e b r a s t e n e b r a s p e r s e q u i. In Cistellaria, v. 778, senex Demipho nil moratur a l i e n a o p e r a[24]) sibi fieri pluris liberos. In Milite glorioso, v. 164—165, Periplectomenus, quamquam est iratus atque timidus propterea, quod res palam facta sit, tamen iubet servos suos talos cuiusque a milite hominis, quem in tegulis viderint, diffrangere et, n e l e g i a l e a r i a e f r a u d e m f a c i a n t, adcurare, u t s i n e t a l i s d o m i a g i t e n t c o n v i v i u m[25]). Pyrgopolynices, quamquam a lorario valde verberatus est, tamen cavillatur in vocabulis m i t t i s - m i t i s[26]). In Trinummo, v. 1091 – 1092, Charmides quamquam aegritudo eius animam adimit, ita ut Stasimus iubeatur, erum tenere, et a viribus defectus tamen iocum facit: r e s q u o m a n i m a m a g e b a t, t u m e s s e a q u a m o f f u s a m o p o r t u i t. In Bacchidibus, v. 694, Mnesilochus iubet Chrysalum curare ut senem d o c t u m d o c t e fallat aurumque auferat. Verba d o c t u m d o c t e, quae adnominationis faciendae causa Plautus Mnesilochum dicere facit, minime decent filium senis. Illa recte se habent, si dicuntur a servo suis dolis gloriante cum eos fabricetur vel iam fabricatis[27]). In Bacchidibus, IV 9,

---

24) cf. v. 777.

25) cf. Brixius et Lorenzius ad locum.

26) Mil. glor 1424: Haec praeter naturam esse indicat Xenophon, qui ἀγαστὸν τοῦ Θηραμένους κρίνει, τὸ τοῦ θανάτου παρεστηκότος μήτε τὸ φρόνιμον μήτε τὸ παιγνιῶδες ἀπολιπεῖν τῆς ψυχῆς (Xenoph. Histor. Graec. II, 3, 56).

27) cf. Bacch. 642 erum maiorem meum ut ego hodie lusi l e p i d e, ut ludificatus est. 643. callidum senem c a l l i d i s d o l i s com-

Chrysalus suas machinas seni Nicobulo fabricatas cum facinore Atridarum comparans dicit:

Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maximum,
quom Priami patriam Pergamum, divina moenitm manu
armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus
mille cum numero navium decumo anno post subegerunt
non pedibus termento fuit praeut ego erum expugnabo meum
sine classe sineque exercitu et tanto numero militum.

---

puli . . . 701: Emungam hercle hominem probe hodie, ne id nequiquam dixerit. 766. Versabo ego illum hodie, si vivo, probe. 1068 sq. hoc est incepta efficere pulcre: bellule mi evenit, ut ovans praeda onustus incederem Pseud. 941: meditati sunt mihi doli docte. Persa 480: hunc hominem ego hodie in trasennam doctis deducam dolis: Pseud. 527 sq. per doctos dolos tibicina circumducam lepide lenonem Hi loci et quos paulo post conferemus ostendunt in Trucul. 892 scribendum esse cum Camerario astutis—fallaciis et in Poen 187: ita decipiemus fovea lepide τὸν λύκον (cf Wiener Studien. 1901 pag. 176)' ubicumque enim incidit sermo de dolo fabricando vel iam cum eventu fabricato, adverbio quodam (lepide, pulcre, probe, docte similibus vel adiectivo dolus notatur: ita etiam in Amph. 997: faxo probe iam hic deludetur, spectatores, vobis inspectantibus. 1005: iam ille hic deludetur probe. Pseud. 529: circumducam lepide lenonem 585: Ballionem exballistabo lepide. 1308: ut probe tactus est Ballio Curcul. 385: ego hoc effectum lepide tibi tradam. Cas 509: pulcre praevortar viros. Mercat 604: pulcre os sublevit patri. Poen. 201: lenoni iam infortuni intenta ballistast probe. 457: eo pacto avarae Veneri pulcre adii manum. Trinum. 560: lepide hercle de agro ego hunc senem deterrui. 817: eumque (sycophantam) huc ad adulescentem meditatum probe mittam. Trucul. 414 sq. Quippini, ubi sine labore res geri pulcre potest? 964: lepide ecastor aucupavi atque ex mea sententia. Mil 935: Vos modo curate, ego illum probe iam oneratum huc acciebo. 1142: ut lepide deruncinavit militem 1161: militem lepide et facete et laute ludificarier volo 907: lepide et sapienter, commode et facete res paratast. Insolentius gloriatur suis dolis Tranio (Mostell. 427 sq.): ludos ego hodie vivo praesenti hic seni faciam, quod credo mortuo numquam fore. cf. etiam Capt. prol. 40: hic hodie expediet hanc docte fallaciam: [Mil. glor. 147 sq. Ei nos facetis fabricis et doctis dolis glaucumam ob oculos obiciemus].

Fortasse hic locus totus est in solo romano procreatus; si non totus, at illud *divina moenitum manu* sine dubio a graeco poeta alienum est. Plautus allitterationis faciendae studio facit Chrysalum stulta et mora dicere. Nam si Pergamum erat *divina manu moenitum*, iusto iure Atridae cluent fecisse facinus maximum. Nonnumquam Plautus cum ludit in vocabulo quodam ancipiti continuo protinam interpretatur suum lusum, ut in Amphitr. 302 sq.

MERC . . . .
agite, pugni, iam diu est quom ventri victum non datis:
iam pridem videtur factum, heri quod homines quattuor
in soporem collocastis nudos. SOS. Formido male,
ne ego hic nomen meum commutem et *Quintus* fiam e Sosia;
quattuor nudos sopori se dedisse hic autumat;
metuo ne numerum augeam illum.

Vellem hos duo postremos versus non additos fuisse. Interpretatio lusus nemini opinor probari potest. Probus lusus est ille qui sine ulla interpretatione a publico intellegatur; quodsi qui ludit ipse suum lusum interpretatur, is vel de suo lusu dubitat an improbus sit, vel intellegendi spectatorum vim minorem aestimat. In Captivis, I 1, Plautus studet suum lusum spectatoribus probare eo interpretando:

Iuventus nomen indidit *Scorto* mihi,
eo quia *invocatus* soleo esse in convivio.
scio absurde dictum hoc derisores dicere,
at ego aio recte; nam scortum in convivio
sibi amator, talos quom iacit, scortum *invocat*.
estne *invocatum* an non < est? est > planissume;
verum hercle vero nos parasiti planius *(invocati sumus)*
quos numquam quisquam neque vocat neque invocat.

In Mostellaria, I 2, dicit fuse lateque argumenta, cur ipse hominem, quando natus est, similem novarum aedium esse arbitretur [28]).

---

28) Plautus, cum sui spectatores non possent intellegere omnia quae in graecis exemplaribus paucis verbis indicabantur, necesse

Plautus ludit etiam in pronominibus vel in adverbiis pronominalibus, quibus iisdem utitur ad res diversas significandas; exempli causa in Mostell. 778: vehit h i c (Theopropides) clitellas, vehit h i c (Simo) autem alter senex. Mil. glor. 418: sed facinus mirum est, quo modo h a e c h i n c h u c transire potuit. Bacch. 881: Roga h u n c tu, tu promitte h u i c. Stich. 351: H o c egomet, tu h o c converre[29]). Hi loci ostendunt nihil esse mutandum neque in Mil. glor. 242—245:

> Ut si illic concriminatus sit advorsum militem
> meus conservos, e a m vidisse hic cum alieno oscularier,
> e am arguam vidisse apud te contra conservom meum
> cum suo amatore amplexantem atque osculantem.

neque in Aulul. 20.

> i t e m a me contra factum est; nam i t e m obiit diem[30]).

In comoediis Plautinis inveniuntur etiam multa, quae minime apte vel εἰς ὑπερβολὴν facta sint, ut in Mercatore, 931 sq., Charini insania est per cacozeliam imitata e Menaechmis, V 2. In Trinummo, IV 3, Stasimus nimis multa philosophatur de moribus; de moribus malis aptius queritur Megaronides (Trinum. I 1). Est quidem etiam Stasimo causa data, qua de moribus queratur, sed ab eo nimis multa dici ostendit etiam hoc, quod Callicles, quamquam properat suos liberos videre (v. 1074—1077), tamen propter Stasimi philosophationes retardatur a suo consilio[31]).

---

erat ut copiosius ea explicaret. cf. Langen Plaut. Stud. pag. 176—177. 218. 232. al.

29) cf. (Dziatzko—) Hauler ad Terent. Phorm. 332.

30) cf. Wiener Studien XXIII, pag. 174.

31) De εἰς ὑπερβολὴν a Plauto factis cf. Leo, Gött. Nachr. 1902 pag. 377, Langen Plaut. Stud. pag. 93. 180 al., Lorenz Einleit. zu Mil. glor. 32-33.

Sed pessime affecta sunt exemplaria graeca, quae latine versa sunt, contaminatione, quam Plautus fecit. Ut Naevius Enniusve suas palliatas contaminaverint, habuerintne ei in fabulis contaminandis prosperas res necne, nobis ignotum est. Terentius contaminavit ita fabulas Graecas, ut nobis difficile esset contaminationem discernere[32]. At in comoediis Plautinis res habet longe aliter; in ea enim opera illapsae sunt Plauto multae inconsequentiae, quae nobis etiam ubi nihil de contaminatione dicitur eam indicent.

Meo iudicio sunt contaminatae comoediae «Amphitruo», «Captivi», «Curculio», «Casina». «Poenulus», «Rudens», «Stichus». E contrario «Menaechmi», «Trinummus», «Epidicus», «Asinaria», «Mostellaria», «Pseudolus», «Aulularia»[33], «Bacchides» et «Miles gloriosus» sunt nobis incontaminatae.

---

32) cf. Leo. Plaut Forsch. pag. 153.

33) Prologus modo Aululariae videtur a Plauto permutatus esse, ita ut non recte comoediae ipsi responderet. In versu prologi 23 sq. dicitur:

huic (Euclioni) filia una est: ea mihi cottidie
aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat.
dat mihi coronas. eius honoris gratia
feci, thensaurum ut hic reperiret Euclio,
quo illam facilius nuptum, si vellet, daret.
nam eam compressit de summo adulescens loco

Haec prologi verba discrepant cum comoedia ipsa: namque tam Megadorus quam Lyconides cupiunt Euclionis pauperculi filiam uterque uxorem ducere sine ulla dote, neque sciunt illum thensaurum repperisse: ignorat quidem Megadorus puellam esse compressam: at Lyconides est sibi huius rei conscius et tamen volt puellam sibi in matrimonium ducere, et ducit eam sine ulla dote. Prologi verba: quo illam facilius nuptum, si vellet, daret. nam eam compressit de summo adulescens loco: consonarent cum comoedia, cuius argumentum esset longe aliud, quo nemo, neque ipse qui puellam stupravit, eam sibi matrimonio jungere, nisi dote magna accepta, vellet.

De «Persa», «Truculento», «Mercatore», «Cistellaria» (et «Vidularia») mihi haud satis liquet.

Antequam de comoediis contaminatis singulis dico, dicendum est mihi etiam in iis comoediis, quas ego incontaminatas esse putavi, esse quasdam inconsequentias, quae tamen inconsequentiae nullam contaminationem, sed tantum quandam permutationem indicent; ut uno exemplo utar, in Bacchidibus, IV 8, miles Cleomachus incedit in scaenam his verbis:

> Meamne hic Mnesilochus Nicobuli filius
> per vim ut retineat mulierem? quae haec factiost?

Quis Cleomachum certiorem fecit Bacchidem suam retineri a Mnesilocho, Nicobuli filio? Haud dubie Cleomachus novit et erum Mnesilochum et servum Chrysalum[34]), sed ambo reliquit in Epheso, cum ipse illic profectus est; praeterea Mnesilochus ex Epheso epistulam super amica, ut eam inveniret[35]), Pistoclero miserat. Cum tamen opus sit, Cleomachum diserte dicere et M n e s i l o c h u m, N i c o b u l i f i l i u m nominare, ut ea pater Mnesilochi, senex Nicobulus, qui prope sit, audiat, necesse est Cleomachus sciat Mnesilochum esse, qui retineat Bacchidem; sed ut hoc sciat, oportet de ea re a quodam antea certior factus sit; quis autem alius praeter suum parasitum, quem ille misisset, ut suam Bacchidem vel pro ea argentum reciperet, IV 1—12, poterat Cleomachum certiorem facere, Mnesilochum retinere suam Bacchidem neque eam reddere velle? At initio actus quarti, in scaena prima et secunda, quibus solis parasitus prodit, huic Bacchidem quaeritanti a Pistoclero enuntiatum est modo, Bacchidem non ire; negare se ituram; alium amare illam, non Cleomachum. Mnesilochum parasitus neque vidit neque audivit eum iam ex Epheso rediisse. Atqui usus est parasitum hoc loco

34) cf. v. 872.
35) v. 561 sq.

vidisse Mnesilochum et certiorem factum esse illum retinere Bacchidem, ut hoc oro suo enuntiaret. Quae cum ita sint, nos putavimus Plautum permutasse scaenam alteram tertiamque actus quarti. In exemplari graeco non modo Pistoclerus, sed etiam ipse Mnesilochus cum parasito sermonem conferebat eumque iratus iubebat, Cleomacho ut enuntiaret, se Bacchidem retinere neque eam mittere velle. Canticum, quod apud Plautum Mnesilochus cantat, IV 3, in exemplari graeco fortasse nullum erat; neque suum locum apud Plautum habere videtur. Postquam parasitus retro ad Cleomachum abiit, Pistoclerus dicit:

606 in eum nunc haec res venit locum, ut quid consili
dem meo sodali super amica nesciam,
qui iratus renumeravit omne aurum patri,
neque nummus ullust qui reddatur militi.
sed huc concedam, nam concrepuerunt fores.
611 Mnecilochus eccum maestus progreditur foras.

Si memoria recte teneo, nusquam alibi amicus concedit in angiportum, quo concedunt inimici, qui aliquid subauscultare velint [36]). In hoc Bacchidum loco cedit Pistoclerus de scaena, ut Mnesilochus prodeat solusque canticum suum cantet. Si recte nos iudicamus, in exemplari graeco Mnesilochus maestus progrediebatur foras una cum Pistoclero, qui amicum petulantiam suam incredibilitatemque querentem et lamentantem consolabatur. Cum parasito, ut supra dictum est, sermonem habebat non modo Pistoclerus, sed etiam ipse Mnesilochus.

De «A m p h i t r u o n e» contaminata actum est mihi in Museo Rhenano vol. LVII, pag. 463 sq. (ann. 1902) [37]).

In «C a p t i v i s» parasitus Ergasilus mihi vide-

---

(36) Casin 434 sq. Mil. 985. Aulul 606. Men. 570. Epid. 103. Most. 429. Pseud. 414.

(37) cf. etiam Berliner Philolog. Wochenschr. 1902 N° 38 pag. 1180.

tur per contaminationem fabulae immixtus esse. In prologo, v. 35 sq. legitur :

hisce autem inter sese hunc confixerunt dolum,
quo pacto hic servos suom erum hinc amittat domum ;
itaque inter se commutant vestem et nomina ;
illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus :
huius illic, hic illius hodie fert imaginem.

His prologi verbis clarum est captivos iam ante vestem et nomina commutasse quam Ergasilus in scænam prodit[38]. Sed ut hoc fieret, necesse erat captivi Hegionis mentem noscerent, si non, certe suspicarentur ; quod tamen ante scaenam alteram actus primi fieri nequibat. Captivos Hegio emit de praeda a quaestoribus die antecedenti[39]) ; hi erant adhuc iuncti iisdem catenis maioribus, quibus etiam apud quaestores. Ab Hegione nihil dum factum erat, quo captivi illius consilium suspicarentur ; ex eo solum, quod eos emisset, nihil suspicari poterant ; neque enim Hegio modo captivos emerat, neque hic Tyndarum Philocratemque solos, sed iam alios multos. Neque habuit Hegio cum captivis sermonem ullum ante scaenam, quae apud Plautum est secunda actus secundi. Sin autem catenae erant manuum vincula, non compedes[40]), etiam si captivi Hegionis consilium iam ceperant, tamen iis vestis commutandae, quoad illis maioribus catenis iuncti erant, nulla potestas erat.

In exemplari graeco «neque periurus leno nec meretrix mala neque miles gloriosus» neque parasitus ullus erat. Fabula graeca incipiebat inde a scaena, quæ apud Plautum altera est actus primi. In hac scaena iubebat Hegio lorarium demere captivis maiores cate-

---

(38) Dombart, Bayer. Gymnasialschw. XXI pag. 155 sq.

(39) v. 110. sq.

40) Nusquam vincula, quibus erant vincti Philocrates et Tyndarus, nominat Plautus nisi catenas, quas videtur alias esse velle quam compedes, cf. Men. 11. Omnino catenae captivorum erant manuum, non pedum vincula, cf. Liv. 29,21. Flor. II 14,18. III 19.

nas atque pro iis singularias indere ceteraque, ut in Plautina usque ad versum centesimum duodetricesimum; sed postea ibat Hegio ad fratrem ad alios captivos suos, ut viseret ne nocte proxima quippiam turbavissent; unde se continuo recipiebat rursum domum. Interea lorarius faciebat, quod Hegio iusserat, in scaena spectantibus spectatoribus. Cum autem lorarius catenas commutaret, captivi percontabantur ex eo Hegionis consilium; quo cognito captivi postea per se machinabantur Hegioni dolum atque vestem nominaque commutabant; quae haud dubie fiebant in pausa, quae inter actum primum et secundum intercedebat. Si res ita, ut nos putavimus, in fabula graeca habebat, tum clandestinum inter captivos arbitris semotis colloquium erat necessarium, nedum supervacaneum, ut in Plautina esse videtur[41]). Opus erat spectatores certiores fieri de dolo Hegioni meditato. Plautus immixta Ergasili persona valde oeconomiam fabulae perturbavit; primum propter Ergasilum Hegio non iit ad fratrem. E colloquio, quod Hegio habet cum Ergasilo, spectatores tantum modo doctiores fiunt, Hegionis filium, qui captus est in Alea, unicum esse, v. 147, nihil amplius. Post hoc colloquium Hegio it intro ut intus subducat ratiunculam, quantillum argenti sibi apud tarpezitam siet; ad fratrem, quo ire dixerat, mox iverit, (v. 192 sq). Verum tamen ad fratrem it Hegio vix demum in actu tertio, postea quam is Pseudo-Tyndarum domum, in Aleam, misit. In actu secundo Hegio percontatur genus Philocratis, honorem, divitias, patrem, quae sine dubio etiam in exemplari graeco percontabatur et sunt haec κατὰ χώραν. In fine actus secundi Hegio iubet Pseudo-Philocratem intro abire, servos eum bene servare, ne quoquam pedem ecferat sine custode, ipse autem Hegio abit ad praetorem cum Pseudo-Tyndaro ut eum syngrapho dato in Aleam amittat. a d f r a t r e m

41) Langen, Plaut Stud. 116-117.

modo captivos alios invisit suos, eadem percontabitur, ecquis Philocratem adulescentem noverit... Tertium iam memorat eundum esse sibi ad fratrem[42]). Quodsi nunc perscrutemur verba Hegionis, quae in scaena secunda actus tertii leguntur[43]), videbimus Hegionem non ex consilio quoquam ad fratrem iisse, sed cum e foro domum reverteretur, laetus ob rem bene gestam devertit[44]) «ad fratrem, qui habitat inter forum et Hegionis domum» (Leo), rogat Philocratem ex Alide ecquis hominum noverit: «tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem; dico eum esse apud me». Si Hegio ad fratrem consulto iret, ut alios captivos viseret eademque percontaretur, ecquis Philocratem novisset, non dicam ei eundum fuisse priusquam Pseudo-Tyndarum in Aleam misisset[45]), sed certe dicendum esset etiam in scaena secunda actus tertii, quo consilio ad fratrem iisset[46]). Quum Hegio omnia, quae sibi Tyndarus cum Philocrate, II 2 3, dixissent, inexplorate credidisset[47]), utpote quae ad rem suam adipiscendam pertinerent, quid opus erat, ad fratrem ire

42) v. 126 sq. 194. 458 sq.

43) v. 505 sq.

tandem abii ad praetorem ; ibi vix requievi :
rogo syngraphum, datur mi ilico; dedi Tyndaro : ille
[abiit domum.
inde ilico praevortor domum, postquam id actum est ;
eo protinus ad fratrem, mei ubi sunt alii captivi.
rogo, Philocratem ex Alide ecquis hominum
noverit : tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem ;
dico eum esse apud me; hic extemplo orat obsecratque
eum sibi ut liceat videre :
iussi ilico hunc exsolvi. nunc tu sequere me,
ut quod me oravisti impetres, eum hominem uti convenias.

44) «er macht einen Abstecher» Brix.

45) Langen, Plaut. Stud. 119.

46) his ferme verbis : eo protinus ad fratrem, mei ubi sunt alii captivi, ut eos visam ne noctu hac quippiam turbaverint. ibi rogo etc.

47) cf. III, 4.

percontarique, ecquis Philocratem novisset?[48]) Si hoc ἐν παρέργῳ facit laetitia sua coactus, quam laetitiam clarissimam indicant verba d i c o e u m e s s e a p u d m e, v. 511, res recte se habet. Quod autem Hegio ter memoravit, sibi eundum esse ad fratrem, id meo iudicio nihil aliud indicat quam hoc: Plautum, cum in exemplari graeco Hegio bis ad fratrem iret, primum ut captivos viseret ne turbavissent, alterum laetitia sua ut rogaret, ecquis Philocratem novisset, voluisse immixta Ergasili persona pro duobus itineribus eum unum solum facere.

In actu quarto, in quo solo Ergasili persona artius cum reliqua fabula coniuncta et quasi incorporata est, videtur Ergasilus partes alienas agere, fortasse servi cuiusdam, qui, ut in «Sticho» Pinacium, Hegionis iussu in portu Philopolemi reditum manebat. Nam quamquam Hegio dicit elapsam esse sibi spem, ex servitute se exemisse filium, v. 759, tamen, cum Tyndarus bis terque de Philocratis reditu memoret[49]), est verisimile, servum aliquem Hegionis iussu in portu manere Philopolemum, si is rediturus sit. Mihi videtur Ergasilus ipse indicare se alienas partes agere, cum dicit v. 778 sq.: «nunc certa res est, eodem pacto ut c o m i c i s e r v i s o l e n t[50]), coniciam in collum pallium, primo ex med hanc rem ut audiat»; currit etiam in «Curculione» parasitus, sed fortasse illa comoedia laborat morbo graviore.

In scaena quarta actus quarti exit puer Hegionis domo multa exsecrans in parasitum, qui quasi lupus esuriens dentibus frendens in culinam impetum fecerit, et, cum conservis iusserit, ut eum adservarent, dicit se iturum esse, ut erum conveniat eique dicat ut

48) v. 459.

49) v. 747: At unum hoc quaeso, si huc rebitet Philocrates, ut mi eius facias conveniundi copiam; cf. etiam v. 682 sq. v. 695 sq.

50) cf Poen. 523: s e r v i l e esse duco festimantem currere. cf. et Amphitr. 986 sq.

alium penum adornet; nam domi aut iam nihil est aut iam nihil erit. Verum tamen neque puer usquam in scaenis posterioribus neque Ergasilus prodeunt; immo ne syllaba una memorantur.

Ergasilus per contaminationem fabulae immixtus, ita ut in actu quarto alienas partes agat, fuit etiam causa, omnia, quae in comoedia aguntur, videri in uno eodemque die fieri, quod merito Langenus vituperat[51]), quamquam Brixius[52]) idem excusare conatus est. Quodsi Ergasili personam ab exemplari graeco alienam putemus, liberabimus illud hac gravi culpa, qua haeret fabula Plautina.

In «Casina» Plautus omisit personam Euthynici una cum servi cuiusdam[53]). In exemplari graeco, τοῖς Διφίλου «κληρουμένοις», videtur nullus dolus locum habuisse; argumentum fabulae graecae erat huiuscemodi: pater Lysidamus et filius Euthynicus, qui unam eandemque puellam efflictim peribant, nitebantur eam sibi uterque parare, pater per vilicum Olympionem, filius armigeri sui Chalini opera. Lysidamus filium, ut is ad rem sibi parandam non impedimento esset, peregre ablegabat; sed tamen mater filio absenti dabat operam et cum marito Casinam sortiebatur, unde titulus «κληρούμενοι». Postea, cum sortito eveniret ut Chalinus vinceretur, Lysidamus uxori iubebat adornare nuptias; quae cum iam paratae erant, podibat servus, qui ante annos sedecim puellam a muliere, quae eam exponebat, acceptam domum detulerat eraeque suae ut educaret dederat. Cuius opera re patefacta Casina, puella illa expositicia, inventa et pudica et libera, ingenua Atheniensis, filia Alcesimi, nubebat Euthynico a peregrinatione revertenti. Ita fabula extrema erat similis Terentii comoediarum, neque ficta Casina Ly-

51) Plaut. Stud. 119-121.

52) Einleit. zu Capt. pag. 3.

53) cf. v. 37-38. 64 sq. Leo Plaut. Forsch. 188 sq.

sidamo Olympionive os sublinebatur, quod apud Plautum fieri videmus.

In actu primo «Curculionis» Planesium videtur ignorare se a lenone Cappadoce militi Therapontigono venum iisse; nam si sciret, diceret hoc amico suo Phaedromo ignoranti [54]); vix autem credibile est Planesio ignorante Cappadocem cum Therapontigono venum habuisse; quamquam lenones agebant cum ancillulis suis tamquam cum mancipiis argento paratis, attamen illae hoc cognoscebant, si venum irent, immo etiam ipsas conditiones, quibus venum irent [55]). Praeterea Phaedromus in actu secundo non videtur ignorare Therapontigonum militem neque ab eo amicam suam emptam esse; primum quod Curculio de milite tamquam de noto homine verba facit [56]), deinde quod Phaedromus, si hoc ignoraret, amicam suam a Therapontigono emptam fuisse, rogaret parasitum Curculionem, qui rem duobus tribusve vocabulis significet, ut sibi eam amplius enarraret; illa Phaedromi interrogatio: m e o s n e a m o r e s ? non ignorantis, sed indignantis est; si ignoraret Phaedromus suam amicam militi venditam esse, interrogaret iam in versu trecentesimo quadragesimo quarto, cum Curculio narraret dicta Therapontigoni, qui emit de lenone Cappadoce virginem triginta minis; etiam si Cappadox non Planesium solam puellam haberet, Phaedromus interrogaret: n u m n a m m e a m P l a n e s i u m?

Therapontigonus emit de lenone Planesium minis triginta, quas dedit tarpezitae Lyconi; sed nusquam dicitur, cur non ipse Therapontigonus secum in Cariam emptam puellam duxerit, cum is omne argentum habuisset [57]).

---

54) cf. v. 46: (Cappadox) eam volt meretricem facere.
55) cf. Pseud. 50 sq.
56) cf. v. 337 sq.
57) In «Pseudolo», quae cum «Curculione» non ita dissimili argu-

Curculio subducit militi anulum, cum ille condormiscat, deducit pedes de lecto clam, ne miles sentiat, seque ilico protinam dat. Anuli subductio est apud Plautum unica, neque apud alium poetam, quod scio, locum usquam habuit. Nova comoedia armis utebatur dolis, fallaciis, astutiis, similibus, sed minime subductionibus.

Mirum in modum nimis sero Therapontigono in suspicionem venit, Curculionem esse illum qui sibi verba dederit: a t t a t, C u r c u l i o h e r c l e v e r b a m i h i d e d i t, c u m c o g i t o. i s m i h i a n u l u m s u b r i p u i t [58]). Atqui si ipse Therapontigonus Lyconi mandavit, qui anulo suo tabellas obsignatas attulisset, daret operam,ut is sibi mulierem a lenone cum auro et veste abduceret [59]), debebat e primo cum Lycone serto sermone in eam cogitationem venire,ut sciret Curculionem eum fuisse qui tabellas obsignatas attulisset virginemque abduxisset. Quodsi hic serius dicit: a t t a t, C u r c u l i o h e r c l e v e r b a m i h i d e d i t, c u m c o g i t o: i s m i h i a n u l u m s u b r i p u i t: hoc est, nisi fallor, indicium Plautum contaminasse scaenas duarum fabularum, quarum in altera mittebatur a milite homo cum tabellis anulo militis obsignatis, in altera veniebat ipse qui puellam [60]) emerat.

Si Therapontigonus in actu quarto, IV 3, Lyconem conveniat, isque Lyco sciat inde ab hoc tempore illum, qui cum tabellis obsignatis venerit, fraudulentum aliquem mendacemque fuisse, cur det postea Lyco lenoni istas minas decem, quae reliquum restent? [61]).

---

mento est, miles non habuit omne argentum, quo Phoenicium emeret.

58) v. 583 sq.

59) v. 346 sq.

60) cf. v. 437: ubi ipsus? cur non venit?

61) In ultima scaena «Curculionis» personae non recte omnes in editionibus indicantur; in versibus 687, 691 et 693 substituenda est pro illa Phaedromi persona Curculionis propter versum 696 sq. qui-

Dolus neque in «Καρχηδονίῳ», unde Plautus «Poenulum» suam latine vertit, ullus locum habuisse videtur; personam Collybisci et advocatos, fortasse etiam Antamonidem per contaminationem Plautus immiscuit [62]).

In actu primo «Rudentis», I 2, Plesidippus venit ad Veneris fanum una cum tribus amicis armatis (v.315) quaeritans lenonem, qui adulescentem deludificaverat atque navi meretriculas avexerat. Hic ex sene Daemone percontatur, ecquem ibi hominem viderit cum duabus muliereulis, lenonem scilicet cum Palaestra et Ampelisca, qui certe non venerunt neque visi sunt usquam in illo loco. Dum senex Plesidippum certiorem facit, iam eos dies compluseulos neminem vidisse sacruficare, neque posse clam se esse, si quis sacruficet, videt ille secundum litus homines, quibus confracta est navis in mari; qui sunt sine dubio leno cum Charmide. Cum ea Pl sidippus audiverit, rogitat: ubi sunt i homines obsecro? Quibus visis abit ad litus cum verbis minacibus: sequimini: utinam is sit quem ego quaero, vir sacerrimus. Atqui Plesidippus nusquam prodit neque cum lenone neque cum alio quodam homine, nisi in actu tertio, III 6, a servo Trachalione arcessitus, ut amicae suae opem ferret contra lenonem, qui puellam de ara vi deripere vellet. Si Plesidippus in actu primo ad litus, quo naufragos viderat, abiit cum suis amicis armatis, cur non sectatus est lenonem? Litus, quo Plesidippus cum amicis suis abiit, esse idem cum

---

bus Phaedromus litigantes pacificare studet; in versibus 712 et 713 substituenda est pro illa Therapontigoni eiusdem Curculionis persona, quam etiam codex B indicat. Verba «non taces» recte dicantur ad Curculionem sese sermoni inserentem (cf. Men. 612), minime autem ad Therapontigonum.

62) De contaminatione «Poenuli» cf. Langen, Plaut. Stud. 181—198. Leo Plaut. Forsch. 153—161 T. Karsten, Mnemosyne XXIX. 4.

eo, quod prope lenoni navis in mari confracta est, patet etiam ex eo, quod Trachalio ad litus missus, qui illos amicos eri armatos in urbem ad portum ei obviam ire iuberet, ibi nactus est Gripum, qui lenonis vidulum in mari repperérat.

In eodem actu primo, postquam Plesidippus abiit, Sceparnio cernit in mari duas mulierculas in scapha solas sedentis, quas oculis sequitur, ut miserae ab undis maximis adflictentur, ut fluctus scapham ab saxo ad litus averterit, ut alteram unda in vadum eiecerit utque altera in terram e scapha desiluerit, neque oculos ab iis prius avortit quam ab ero suo Daemone sibi operam dari iussum est. Hic videmus senem Daemonem praeter suam pietatem[63]) non modo ipsum minime puellarum misereri, sed etiam servo suo illis miseris opem ferre cupienti hoc interdicere. Tantam inesse seni crudelitatem nobis vix credibile est; namque quamquam causam habebat ut homines odisset, tamen erat longe dissimilis Timonis illius Misanthropi. Praeterea Sceparnio, qui in actu primo vidit omnes puellarum in mari iactationes atque in terra errationes, in actu secundo, II 7, idem ipse videtur ignorare quae in actu priore viderat[64]). Quodsi actus primus, I 1—2, tam cum secundo quam cum tertio discrepat, nihil aliud conici potest quam hoc: graeci exemplaris initium fuisse scaenam, quae apud Plautum tertia est actus primi, duasque priores scaenas a Plauto per contaminationem additas esse. Initium Plautinae, quo Daemones in scaenam prodit, alienum fuisse a graeco exemplari ostendit praeterea etiam hoc: somnium mirum, quod nocte proxima Daemones somniavit enarrat non cum primum in scaenam prodit, sed in actu tertio; quod praeter morem esse non modo ex aliis

63) cf. v. 1176. 1193—1194.

64) cf. v. 561 sq. nocte hac a i u n t proxuma se iactatas, atque eiectas hodie esse a i u n t e mari.

comoediis Plautinis apertum est, ut e Curculione, II 2, et Mercatore, II 1, quibus Cappadox et Demipho suum uterque somnium enarrant, cum primum in scaenam prodeunt, sed etiam ex Electra Sophoclea, ex Hecuba, Iphigenia Taurica, Persis. Hoc idem videmus fieri etiam in vita hominum, qui cum videant somnium mirum hoc enarrant aliis ubi primum eos conveniunt[65]).

Multo magis quam in «Captivis» perspicuum est in «Sticho» personam parasiti per contaminationem a Plauto comoediae immixtam esse. Cum primum Gelasimus prodit in scaenam, I 3, cantat canticum quod parasiti canere solent[66]), multa de se matreque sua garriens pluraque de moribus mutatis querens. Hunc inde a versu centesimo nonagesimo sexto[66a]) auscultat ancilla Epignomi Crocotium, quae a Panegyride missa est, ut arcesseret parasitum[67]); adit eum rogatque verbis Panegyridis, secum simitu ut eat ad domum eius. Quamquam parasitus interrogat, quid se Panegyris velit, neque Crocotium[68]) dicit neque ipsa postea[69]) Panegyris.

---

65) cf. praeter alios Platonem in Critone, 44 A,: τεκμαίρομαι δ' ἔκ τινος ἐνυπνίου, ὃ ἑόρακα ὀλίγον πρότερον ταύτης τῆς νυκτός· καὶ κινδυνεύεις ἐν καιρῷ τινι οὐκ ἐγεῖραί με. Initium actus primi, I 1-2, a Plauto esse additum indicant etiam inconsequentiae, quas ostendit Langenus in suis «Studiis Plautinis», pag 205 sq.

66) Capt I. 1. Men. I, 1. Pers. I. 2. Eun. II, 2.

66a) Leo, Gött. Nachr. 1902 pag 375, 1) putat Crocotium fuisse in scaena iam antequam Gelasimus prodiit; quod mihi non satis credendum est, si ancilla nullum verbum facit. Putandum est magis Crocotium non actutum, simulac ab era sua iussa est, abiisse ad Gelasimum arcessendum, sed aliqua de causa intus retardatam esse, ita ut in scaenam prodiret posteaquam Gelasimus prodierat cf. v. 243 sq.

67) cf. v. 150 sq.

68) Respondet quidem Crocotium «tritici modios decem rogare, opinor, ut a vobis mutuom nobis dares», sed hoc, quod sine dubio falsum est, dixit Crocotium modo ut parasitum irrideret.

69) II 2.

Cum Gelasimus rogitarit Panegyridem, si ad rem divinam parandam se administrar vellet, illa respondet, sat servorum habeo domi [70]. Sed si Panegyris sat servorum domi habebat, quid opus erat Gelasimo, ut eum ad portum mitteret [71]? Servi, quorum sat domi habebat, non poterant ad portum ire, ut viderent, si quae forte ex Asia navis venisset?

In actu tertio, III 2, prodit iterum Gelasimus, cum inspexerit libros parasiticos ridicularia continentes, salutat Epignomum, qui modo venit, et sermonem cum eo confert. Tam in hac scaena, quam in altera actus quarti, Gelasimus cum nihil ad rem faciat, est impedimento quominus Epignomus [72]) et Pamphilippus [73]), qui domo iam tertium annum abessent, citius, ut debebant [74]), domum atque ad uxores suas eant. Ii manent in scaena modo ut parasitum ludificentur [75]). Quamquam autem ante domum Panegyridis Epignomus cum Gelasimo sermonem longum instituit, mirum in modum Panegyris non exit e domo, praesertim cum a Sticho servo, qui in versu quadringentesimo quinquagesimo tertio intro domum cum tibicinis et fidicinis iisset, certior facta sit, virum suum Epignomum ante fores esse. [75a])

Reliquum restat nunc nobis ut de «Milite glorioso» dicamus, quam nos Plauto incontaminatam esse putavimus. De hac comoedia multi adhuc scripserunt [76]), qui quamquam omnes fere consentiunt,

---

70) v. 397.

71) v. 150 sq.

72) III, 2.

73) In IV 2.

74) cf. Mostell II, 2. Trin. IV. v 842.

75) cf v. 578.

75 a) De «Sticho» contaminata vid. Leo Gött. Nachr 1902 pag 375—391.

76) Videas Lorenzium, Mil. glor². Einleit. pag. 31 sq.; Brixium², Einleit. pag. 10 sq.; Langenum, Plautinische

comoediam contaminatam esse, tamen in singulis haud parum dissentiunt; quam ob rem necesse est nobis latius de hac comoedia disserere.

Initio fabulae prodit miles Pyrgopolynices cum parasito Artotrogo et satellitibus suis. Sermone cum parasito conserto atque huius blanditiis depingitur miles, qui est homo gloriarum, periurii atque adulterii plenus, impudens, stercoreus; quaqua incedit omnibus est deridiculo, ita ut ipse parasitus eum naso suspendat. Haec scaena (I 1) Lorenzio[77]) est «eine völlig isolirte Paradescene» quae «mit dem Stücke selbst in keinem weiterenZusammenhange steht und nur eine Charakterschilderung bildet, in welcher zwei bei dem damaligen Publicum sehr beliebte Figuren in reicher, stark burlesker Entfaltung ihrer Eigentümlichkeiten vorgeführt werden sollen». E contrario Leoni[78]) «Das «Vorspiel» (I) hängt organisch mit IV, V zusammen, äusserlich und innerlich; äusserlich, denn der miles kehrt v. 947 nach Erledigung seiner Geschäfte vom Forum zurück, vordem, ist öfter an seinen Aufenthalt dort erinnert worden, der Parasit ist πρόσωπον προτατικόν, aber sein Verschwinden wird motivirt v. 948 und an seine Stelle tritt nun Palaestrio; innerlich, denn das Vorspiel gibt die Charakterisirung des Helden, und zwar nicht nur als eines eitlen Prahlers sondern auch als thörichten Weiberjägers (58 sq.) und damit die Vorbereitung auf das Hauptmotiv des 'Αλαζών (775 sq.). Der Prolog Palaestrios gibt die Situation an, die der ganzen Composition zu Grunde liegt, leitet aber dann nur die Handlung des folgenden Aktes ein; das ist unverfänglich. Er folgt auf die Anfangs-

---

Studien 313 sq. F. Schmiditium. Fleckeisen's Jahrbücher IX Supplb. pag. 591 sq., Ribbeckium Alazon pag. 55 sq. Leonem Plautin Forschungen pag. 161 sq.

77) Einleit. pag. 31 sq

78) Plaut. Forsch. pag. 161 sq.

scene, das ist gut attisch; da der Ἀλαζών mit einem Vorspiel begann, so hatte in ihm der Prolog diese Stelle . . . .» Cum incredibile sit «militem gloriosum» carere scaena, qua depingatur miles gloriarum plenus, immo in hac comoedia inveniatur «die gelungeste Charakterschilderung eines Prahlers» (Lorenz) consentiendum est cum Leone, Plautum invenisse iam in exemplari graeco hanc scaenam neque ab eo per contaminationem additam esse.

In scaena sequenti, I 2, prodit Palaestrio, qui primum enarrat argumentum fabulae; sed in hac enarratione Palaestrio videtur scire quod scire nequit: «ei», ait, scilicet custodi concubinae militis, «nos facetis fabricis et doctis dolis glaucumam ob oculos obiciemus eumque ita faciemus ut quod viderit ne viderit. et mox ne erretis, haec duarum hodie vicem <suam> et hinc et illinc mulier feret imaginem, atque eadem erit, verum alia esse adsimulabitur. ita sublinetur os custodi mulieris». Haec sine dubio referuntur ad dolum, quem postea Palaestrio cum Periplectomeno contra Sceledrum meditati sunt, cum is in domo Periplectomeni vidisset Philocomasium atque Pleusiclem osculantis. Jam Dziatzko[79]) putavit secludendos esse versus 147—149 ut pote ab aliquo posteriore additos, non a Plauto ipso scriptos; at Trautweinius[80]) hos vindicare suscepit suamque rationem, ut videtur, Leoni probavit[81]). Quamquam recte Trautweinius particulam nam, v. 145, in qua explicanda haeserunt interpretes[82]), antecedentium causam introducere putavit, attamen ce-

---

79) Rhein. Mus. Vol. XXIX, pag. 53.

80) De prologorum Plautinorum indole atque natura pag. 47 sq.

81) cf. Leo ad v. 149 et Plaut. Forsch. pag. 195. 221 sq.

82) cf. Ritschl praef. in Mil. Glor. pag XII.

tera quae dicit ut versus sequentes, 147 sq., Plautinos esse ostendat, meo iudicio vera esse nequeunt. Verba Palaestrionis quae supra exscripsimus non habent sententiam, quam ex iis Trautweinius extorquere conatur: «ego eum quem sene suadente perfeci dolum excogitare debebam; nam conservus meus, quem amicae custodem miles dedit, homo est nequissimus, qui si quid senserit, statim sine dubio domino rem indicabit. sed ei facetis fabricis et doctis dolis glaucumam ob oculos obiciemus . . . . . ». Primum vix est verisimile Palaestrionem Sceledrum hominem nequissimum appellasse, quod is, si quid sensisset, statim sine dubio domino rem indicaturus esset. Hoc debebat Sceledrus facere; sin autem quis id quod debet facere facit, is non est homo nequissimus. Haec poterat Palaestrio dicere Sceledro ipsi praesenti, ut eum absterreret, quin, si quid sensisset, hoc indicaret, sed minime ad spectatores illo absente. Palaestrio nihil aliud dicit, quam hoc: «miles dedit concubinae conclave, quo nemo nisi eapse inferret pedem, eique custodem addidit; ego sene sciente atque suadente in hoc conclavi parietem perfodi, qua commeatus clam esset hinc huc mulieri; meus conservus, mulieris custos, nihil de nostris machinis sentiet, neque quidquam suspicabitur; nam is est homo haud magni pretii, homo nequam». Illae magnae machinae, quae intus paratae sunt, non sunt facetae fabricae doctive doli, quibus Sceledri ob oculos glaucuma obiciatur, sed paries perfossus, qua commeatus mulieri clam esset e domo militis ad Pleusiclem. Si Plautus, quod Trautweinius probare conatur, dicere vellet, opus esset ut post versum centesimum quadragesimum tertium adderetur: q u a q u e , si forte custos eam mulierem apud Periplectomenum cum Pleusicle esse vel osculari vidisset, eum nos redargueremus aliam illi persimilem vidisse; quod neque dixit neque dicere voluit. Praeterea si Palaestrio cum sene facetas fa-

bricas dolosque doctos, quibus facerent Sceledrum ut quod vidisset ne vidisset, antea iam paratos habuissent, scaena quae sequitur, II 2, non ita, ut tradita est, se haberet. In ea scaena neque senex Periplectomenus, neque Palaestrio ipse verbum ullum faciunt de Sceledro aut de dolis praeparatis. Quod Sceledrus amatorem cum puella per impluvium apud Periplectomenum osculantes vidit, hoc necopinante tam Palaestrione quam sene accidit; quamobrem etiam in profundum consilium incidit[83]), quod esset stultum, si doli iam parati essent[84]).

Nobis spurii sunt versus septem, inde a versu centesimo quadragesimo septimo usque ad versum centesimum quinquagesimum tertium; duo versus antecedentes, 145—146, non modo possunt esse in loco, sed etiam opus est eos esse in loco ; nam propter hos additi sunt versus sequentes, 147 – 153, ab aliquo posteriore, cui non satis perspicua esset sententia versuum 145—146; fortasse etiam quod is qui versus 147—153 inseruit credebat prologum non modo quae iam antea fuissent spectatoribus enarrare, sed etiam quae postea futura essent praedicere, ita ut in prologis non paucis fieri videmus, Amphitruonis, Aululariae, Captivorum, Casinae, Menaechmorum, Poenuli, Rudentis; atqui in his fabulis prologum dicit aut deus quidam, — in Amhitruone Mercurius, in Aulularia Lar Familiaris, in Rudente Arcturus, — aut poeta ipse vel persona quaedam, quae nullas partes agit in comoedia ipsa. Palaestrio cum sit τῶν δρώντων προσώπων, quae facta sunt licet eum scire, quae tamen postea fabula prodeunte accidere possunt, is ea scire nequit.

Prologus, quem dicit Palaestrio, Lorenzio totus

83) cf. v 200 sq.

84) Omnino praeparationes aut praecautiones sunt alienae a servis novae comoediae, neque cum charactere eorum congruunt.

est una cum actu primo, h. e. II 2—II 6, translatus ex alio praeter 'Αλαζόνα exemplari[85]), Leoni modo prologus extremus, quo praeparetur «die dem Alazon fremde Handlung», h. e. inde a versu centesimo undequadragesimo[86]). Si Sceledri ludificatio est aliena ab Alazone, est etiam prologus extremus una cum illa per contaminationem a Plauto additus; sed sitne necne Sceledri ludificatio per contaminationem in fabula Alazonis immixta, patefiet credo e sequenti disputatione.

In actu secundo, II 2—6, sublinitur os Sceledro, custodi mulieris, ita ut ei persuadeatur non vidisse quod vidisset, h. e. puellam quam cum hospite apud Periplectomenum osculari vidisset, non Philocomasium fuisse, sed aliam, Philocomasii sororem, quae cum amico suo apud Periplectomenum hospitio devortat; quod persuasum est Sceledro per parietem, quem Palaestrio perfoderat, qui amantis una inter se faceret convenas, quoque Philocomasium cito e domo militis domum Periplectomeni et retro inde illic transibat, duarum puellarum vicem ferens.

Hanc «militis gloriosi» partem, II 2—II 6, omnes fere critici putant esse a Plauto translatam ex alia praeter Alazona fabula per contaminationem, quod perfossus paries in actu quarto et quinto non in usu sit, neque mentio ulla eius fiat, Sceledrum vidisse Philocomasium cum Pleusicle osculari[87]).

85) Lorenz, Einleit. zu Mil. glor². pag. 34.

86) Leo, Plaut. Forsch. pag. 162.

87) Lorenz², Einleit. pag. 31: Denn der Umstand, der den langen Kampf gegen Sceledrus herbeiführt, wird am Schlusse des ersten Aktes so gründlich beseitigt, dass er für das ganze übrige Stück durchaus unwichtig ist und in der That auch mit keiner Silbe daselbst erwähnt wird; ja Sceledrus selbst ist in der zweiten Hälfte so gut wie verschollen . . . . . — Leo, Plaut. Forsch. pag. 162: Im 4 Akte wird das Grundmotiv des zweiten, der geheime Gang durch die durchbrochene Wand, völlig fallen gelassen: et paulo inferius:

Parietem perfodit Palaestrio modo qui amantis una inter se convenas faceret, v. 149; adhibuit tamen eundem perfossum etiam ut Sceledro, qui necopinato vidisset Philocomasium cum Pleusicle apud Periplectomenum osculari, persuaderetur se non vidisse id quod vidisset. Eodem modo, quo Sceledrum ludificaverant, essent ludificaturi etiam ipsum militem, si Sceledrus non mussitaret[88]). Cum autem Sceledrus aufugisset atque se per aliquot dies occultasset, dum turbae erectae consilescerent atque irae lenirent, quam ob rem nihil ero suo eloqui potuisset, non opus fuit pariete perfosso, ut eo etiam miles ludificaretur; atqui quamquam hoc non utuntur ad militem decipiendum, tamen sine pariete perfosso quaedam, quae in actu quarto fiunt, intellegi nequeunt; non modo enim semel iterumque dicitur Philocomasium esse apud Periplectomenum[89]),sed etiam necesse est eam convenire socios, qui apud Periplectomenum sunt, ut certior fiat, quid porro factum sit, ipsaque faciat quod opus sit, ne res, cum ad summum puteum geritur periculumque maxumum est, eius ignorantia ab summo

---

Die Erfindung des 4 Aktes sieht nicht nur von dem des 2 völlig ab, sie hat auch nur dann Sinn, wenn die Befreiung auf anderem Wege als unter der Zustimmung des Herrn nicht möglich war; also sie steht in Widerspruch mit der Existenz des geheimen Durchgangs. Plautus hat das zweimal nicht bedacht, v. 869, wo die neue Aktion noch nicht begonen hat, und v. 1090, wo er zur Belustigung des Publicums das hübsche Motiv einführt, dass, Philocomasium mit Acroteleutium in der Thür des Nebenhauses steht und zuhört . . .

88) cf. infra.

89) Vs. 1088 sq. PAL . . . . Philocomasio dic, si est istic, domum ut transeat; hunc hic esse. MILPH. Hic cum mea era est, < hinc > clam nostrum hunc sermonem sublegerunt. PAL. Lepide factum est; iam e x s e r m o n e h o c g u b e r n a b u n t d o c t i u s p o r r o Et vs 1154 sq. : d o m i esse ad eam rem video silvai satis, mulieres tres (h. e. Acroteleutium, Milphidippam, Philocomasium), quartus tute es, quintus ego, sextus senex.

rursum cadat [90]). Cum autem Philocomasium faciat quod opus sit [91]), ergo scit quid sibi faciendum sit, ergo convenit socios, qui apud Periplectomenum sunt; quod aliter fieri nequit nisi pariete perfosso, quo Philocomasium cito e domo militis ad Periplectomeni et retro inde illic transire potuit. Praeterea in actu quarto saepe mentio fit de falsa Philocomasii sorore [92]), quam Palaestrio machinatus est in Sceledrum, ut ei persuaderetur non vidisse quam vidisset [93]). Quodsi in actu secundo soror modo Philocomasii dicitur Ephesum venisse, nulla mater, in actu autem quarto soror cum matre [94]), haec est nulla dissonantia; spectatores sciunt neque matrem neque sororem ullam Philocomasii Ephesum venisse; in actu secundo dicitur soror modo venisse, quod ea sola usus erat, ut Sceledro persuaderetur, quam is vidisset cum Pleusicle osculari non Philocomasium, sed aliam, huius sororem, fuisse; in actu quarto dicuntur soror et mater venisse, ut tam Philocomasium, haec simulate [95]), quam Pyrgopolynices facilius matri atque sorori operam darent.

In fine actus secundi cum Periplectomenus ignoverit Sceledro, qui hospitam illius tractavisset et ludificavisset, abit Sceledrus domum his verbis, quae dicit ad spectatores Periplectomeno non audiente :

Dedit hic mihi verba quam benigne gratiam
fecit, ne iratus esset. scio quam rem gerat :
ut miles quam extemplo a foro adveniat domum,
domi comprehendar. una hic et Palaestrio
me habent venalem : sensi et iam dudum scio.
numquam hercle ex ista nassa ego hodie escam petam :
nam iam aliquo aufugiam et me occultabo aliquot dies,
dum haec consilescunt turbae atque irae leniunt.
nam uni satis populo impio merui mali.

90) cf. v. 1150 sq.
91) cf. IV 5 et IV 8.
92) v. 974 sq. 1102. 1146. 1313. 1315. 1318.
93) cf. v. 237 sq.
94) In duobus locis dicitur modo mater venisse, v. 1185 sq. et 1299; in quo minime haereas.
95) cf. v. 1319.

Apertum est verbis ipsius Sceledri hunc domo aufugisse; quod tamen nescit tam Periplectomenus, quam Palaestrio, qui putant eum esse domi[96]). Versum quingentesimum octogesimum quintum spurium esse recte iudicavit Ribbeckius[97]). Postea Periplectomenus redit in senatum rursum; initio actus tertii prodeunt senatores, prior Palaestrio, ut perspectet, ne uspiam insidiae sint concilio, quod habere volunt, postea Periplectomenus cum Pleusicle. Cum hi posteriores progressi sint, Palaestrio rogitat Periplectomenum et Pleusiclem, eodemne consilio, quod intus meditati sint, velint gerere rem; illi respondent ambo assentientes. Quaeritur nunc, quid consilii intus senatores meditati sint. Sine dubio consilium meditatum erat in militem, sed utrum, ut ei quoque persuaderetur puellam, quam Sceledrus vidisset apud Periplectomenum cum Pleusicle osculari, aliam fuisse praeter Philocomasium[98]), an ut concubinam dimitteret? Quamquam Palaestrio una cum Periplectomeno iam in scaena altera actus secundi meditati sunt, quomodo Sceledrus, si is concriminatus esset advorsum militem, argueretur aliam, non Philocomasium, vidisse, tamen antequam miles quoque ludificaretur, verisimile est socios data occasione consilii habendi iterum de eadem re senatu frequenti cogitasse. Sed cum hoc consilium non ad liberandam puellam spectaret, videtur Palaestrio, ut fabula finem haberet, in eodem senatu etiam de ea re consilium dedisse, scilicet ut militi persuaderi posset, ut concubinam Philocomasium dimitteret; qua autem ratione hoc fieri posset, non dixit intus, sed, ut eam etiam spectatores audiant, dicturus est ante foras. Hoc ita factum esse conicio primum ex eo quod Palae-

---

96) cf. infra quae de scaena III 2 dicturi simus.

97) Alazon, pag. 71 et Rhein. Mus. XII, 597 cf. et Leo Plaut. Forsch. pag. 166 sq.

98) cf. v. 805 sq.

strio praecavet ab insidiis[99]), postea ex eo quod Pleusicles tacet, cum Palaestrio dicit se lepidam invenisse sycophantiam, qui admutilaretur miles usque caesariatus atque ut Pleusicles Philocomasium abduceret haberetque[100]). Si hoc consilium tum primum Pleusicles audiret, non poterat quin suam laetitiam paucis verbis indiceret. Sed ante versum septingentesimum sextum, quo Palaestrio suum consilium cum sociis communicare incipit, sunt multa quae a posterioribus et iis multis et temporibus diversis inserta cum Plautinis sint.

Cum Pleusicles ad Periplectomenum dixit: *At illa laus est, magno in genere et in divitiis maxumis, liberos hominem educare, generi monumentum et sibi,* Periplectomenus respondet: *Quando habeo multos cognatos, quid opus est mihi liberis? nunc bene vivo et fortunate atque ut volo atque animo ut lubet mea bona in morte cognatis didam, inter eos partiam.* Luce clarius est haec Periplectomeni verba non recte ad illa Pleusiclis respondere.

In versu septingentesimo tricesimo octavo et sequentibus Periplectomenus dicit se opsonare velle, ut Pleusiclem ex virtute sua atque hospitis domi suae accipiat benigne, lepide et lepidis victibus. Haec recte se habere nequeunt, si Pleusicles non modo ac paulo ante, sed iam decem ante diebus venit[101]). Praeterea si Palaestrio consilium suum de milite admutilando cum sociis sive iam antea communicaverat, ut Leoni videtur[102]), sive postea communicaturus erat, Periple-

99) v. 596 sq. Recte Schmidtius has praecautiones, si aliter atque nos de re putes, ineptas esse censet.

100) cf v. 766 sq.

101) cf. v. 743.

102) Leo, Plaut. Forsch. pag. 163 sq.

ctomenus debebat domi cum ceteris manere atque ad dolum peragendum opitulari, non ad opsonium ire, cum res tantae amici sui agerentur.

Postquam Palaestrio consilium suum communicavit atque a Periplectomeno ancillam catam et lepidam mulierem quaesivit ad se ut deduceret ex matronarum modo ornatam, quae Periplectomeni uxor esse simularet et militem deperire, atque Periplectomenus abiit ad eas mulieres parandas, Palaestrio Pleusiclem iubet, ubi miles domum advenerit, meminerit ne Philocomasium nominet, sed Diceam. In his nihil offendas, cum memineris quae supra dicta sint, Palaestrionem ignorare Sceledrum domo aufugisse, neque esse quod sibi ab eo timendum sit.

Scaena, quae postea sequitur, III 2, «L u c r i o - s c e n e» Plautina esse nequit; primum quod haec dissentit cum scaena sexta actus secundi; deinde quod non est verisimile militem, qui a rege Seleuco missus esset, ut ei latrones conscriberet, Ephesi habere apothecam vinariam cum promis atque subpromis; si is incola Ephesius esset, haberet fortasse apothecam vinariam; sed eum non ex Epheso fuisse, apertum est ex eo, quod is ignorat Periplectomenum, vicinum suum, caelibem esse. Tum quod Sceledrum, qui sit servus fidus quique negotium erile curet, ut Grumio in «M o s t e l l a r i a», minime decet facere quae Lucrio de eo dicit[10]). Haec scaena sine ullo dubio addita vel pro alia, fortasse pro cantico quodam[104]) substituta est ab aliquo posteriore, qui et versum quingentesimum octogesimum quintum inseruit.

Haec sunt quibus mihi persuasum est «m i l i t e m g l o r i o s u m» non esse contaminatam; quod fit probabilius, si haec fabula est antiquissimarum Plauti[105]);

103) cf. Schmidt, Fleckeisens Jahrbücher IX Suplb. pag. 385.

104) cf. Schmidt u. s. pag. .

105) Lorenz, Einleit. pag. 53—54. Leo, Plaut. Forsch. pag 165. Brix[2] ad v. 213.

non est verisimile Plautum in primis fabulis vertendis contaminationi, operi tam difficili, operam dedisse.

Sin igitur nos recta via in hac «militis gloriosi» fabula perscrutanda iimus abscisis spuriis locis actus comoediae est hic:

Miles Pyrgopolynices cum parasito Artotrogo suisque satellitibus prodeunt in scaenam, ibique sermonem inter se Pyrgopolynices cum Artotrogo conferunt, quo sermone noscitur qualis sit miles. Postea abeunt in forum, ut miles regi Seleuco latrones conscribat (vers. 1—78); quo facto prodit Palaestrio, qui enarrat argumentum comoediae quodque adhuc factum sit, nihil amplius (79—146)[106]. Vix argumentum dixerat Palaestrio, cum is audivit Periplectomeni vicini senis, apud quem Pleusicles suus prior erus hospitio devortitur, fores concrepuisse atque ipsum Periplectomenum videt exire foras (154—155). Is iubet servos suos diffringere talos cuiusque alieni, quem in tegulis viderint; nam arbitri, quid fiat domi suae, vicini per impluvium intro in domum suam spectando sint. Haec dicit Periplectomenus, quod aliquis a milite modo de tegulis per impluvium inspectaverit intus apud se Philocomasium atque Pleusiclem osculantis; quod cum Palaestrio audivisset, primum iussit Periplectomenum intro ire atque Philocomasio dicere ut transiret in domum militis atque infitias iret se a servo illo visam fuisse; postea dolum praeparat, quo militi persuadeatur non Philocomasium fuisse eam, quam servus vidisset apud Periplectomenum cum Pleusicle osculari, sed aliam, sororem Philocomasii[107]). Hoc dolo praeparato abiit Periplectomenus domum, ut ea Philocomasio quoque praeciperet (156—260). Sed an-

106) Versus 147—153 spurios esse putavimus.

107) Hoc loco addidit Plautus de suo quae ad Naevium carcere inclusum poetam attinent; quamobrem actum comoediae paulum titubare fecit.

tequam machinae institutae ad militem admoventur, persuadetur Sceledro, ei scilicet servo qui Philocomasium apud Periplectomenum viderat, non eam fuisse quae a se visa esset, sed aliam, sororem Philocomasii, quae cum amico suo apud Periplectomenum hospitio devortantur; qua de causa Sceledrus coactus non modo tacet neque quidquam militi eloquitur, sed, cum falsam Periplectomeni hospitam ante huius aedes tractaverit, domo aufugit et se aliquot dies occultat id metuens, ne domi comprehendatur, cum miles a foro domum adveniat certiorque fiat de Sceledri factis (261—585). Abscessu Sceledri pot st frequens senatus haberi domi Periplectomeni, ubi erunt Palaestrio, Pleusicles, Periplectomenus (586 –595). In hoc senatu meditatum est iterum quo modo etiam militi ipsi persuaderetur, si advorsum eum Sceledrus concriminatus esset, se vidisse Philocomasium apud Periplectomenum cum alieno osculari, non Philocomasium eam fuisse, sed aliam, sororem Philocomasii (cf. v. 805 sq.) [108]. Atqui hic dolus paratus non satis erat; ut comoedia fimen aliquem haberet, necesse erat, miles admutilaretur atque concubinam dimitteret: ut autem hoc fieret, opus erat novo consilio, quod consilium meditati sunt intus, sed rationem, qua hoc fieri deberet, dedit Palaestrio ante aedis Periplectomeni, in scaena, ut eam una cum sociis Palaestrionis spectatores quoque audirent (596-812). Iussu Palaestrionis Periplectomenus parat mulierem Acroteleutium cum ancilla Milphidippa, quarum opera miles a foro domum reversus primum dimittit Philocomasium cum Palaestrione, postea domi Periplectomeni pro moecho prehensus poenas luit (874-1425) [109].

---

108) Sceledrum domo militis aufugisse ignorant senatores; quamobrem non omittunt dolum priorem.

109) Scaenam alteram actus tertii dictum est in antecedentibus non esse Plautinam.

APPENDIX*)

---

*) Liceat appendicis loco typis iterare quae a nobis hic illic in annalibus quibusdam disserta sunt.

(WIENER STUDIEN XXIII, pag. 174 sq.)

Plautina

Aul. 20. *Item a me contra factum est; nam item obiit die<m>.* Editores hunc versum totum aut alterum eius dimidium corruptum esse aut quaedam intercidisse censuerunt. Sed videas, num nos Plauti versum totum genuinum iudicantes erremus. Quia Euclionis pater minus minusque impendio Larem familiarem curavit minusque impertivit honoribus, item a Lare factum est contra; huius enim opera, quem ille debitis honoribus fraudavit, fraudatus thesauro item misere obiit diem supremum, ut misere magnoque cum labore pater eum vivere voluerat (v. 14), h. e. vixit usque ad diem supremum miser, cui thesaurus occultus mansisset. Alterum *item* non ad prius *item* referendum est, sed, ut verbis *obiit diem* demonstratur, subaudienda sunt verba: *ut cum labore magno et misere vixerat.* Fortasse non erramus Plautum suo more hoc loco in adverbio *item-item* repetito lusisse rati.

Aul. 282: *ut dispertirem obsonium hic bifariam.* Editores quoniam hunc locum non recte vel imperfecte traditum esse suspicati sunt, alius aliud coniecit. Ita ut legitur versus in editionibus, offensionem praebet, quod de solo obsonio dividendo hic sermo est, cum vv. sequentibus doceamur etiam coquos tibicinasque intellectos fuisse. At vocabulo *obsonium* una cum epulis etiam coqui ad illas parandas tam necessarii tibicinaeque significari possunt. Sunt enim loci, quibus Plautus solo verbo *obsonandi* cum epulis emendis etiam coquos conducendos significavit. Atque primum quidem in Bacchidum v. 96—97

Bacchis rogat Pistoclerum, ut sibi obsonatum sit opulentum obsonium, isque pollicetur: ego obsonabo. Nihil additur de coquis; tamen in scaena, quae sequitur Pistoclerum redeuntem videmus comitantibus servis obsonia portantibus coquisque (Ussing. p. 383). Deinde in Casinae v. 491 sq. Lysidamus servum Olympionem obsonatum mittit: abi atque obsona, propera, sed lepide volo cf. 501: argento parci nolo, obsonato award amplite r. Etsi nullum de coquis verbum fit, tamen Olympio v. 720 sq. (III, 6) non modo cum epulis, sed etiam cum coquis de foro redit. Si vocabulum obsonandi nil amplius quam epulas emere significaret, nullo pacto poterat servus coquos non mandatos conducere. Cf. praeterea Merc. 578 sq., 582, 695 sq., 754 sq. Coqui tibicinaeque, homines saepe viles raroque liberi, sine ulla offensione una cum epulis sub uno eodemque verbo (obsonium, obsonare) intelleguntur.

Bacch. 726. PIST. Quae imperavisti: impetum bene bonis factum ilicost. Pistoclerum, qui Chrysali iussu (v. 715) domum Bacchidum ad tabellas, stilum, linum efferenda intraverat, hoc v. in scaenam redeuntem et quae iussus erat apportantem videmus; haec cum tradit, dicit: quae imperavisti: h. e. hic sunt (cf. v. 715: iam faxo hic erunt) vel adsunt; cf. Casinae locum simillimum, v. 358: adsunt quae imperavisti omnia et Mil. 898. Estne igitur illa ellipsis tam dura, ut locum corruptum esse iudicemus, id quod viri quidam doctissimi censuerunt? Eratne necesse, ut Pistoclerus post ea, quae in v. 715 dixerat, repeteret: hic sunt? Num improbabilis est talis ellipsis in fabulis scaenicis, quarum verba magnopere adiuvari et illustrari actione gestuque histrionum inter omnes constat?

Persa 179. LEMN. Miser est qui amat. SOPH. Certo is quidem nihilist.... Nescimus, quam ob rem editores non secuti sint libros AP, qui, nisi fallimur, recte omittunt nomen Lemniselenis, quae neque in ulla priore scaena aut in hac quidquam loquitur neque prodit in scaenam. Astat in foribus tacita, ut Ptolemocratia in Rudente 331 et Phronesium in Truc. 114 et Archilis in Terent. Andria 228. 481 (cf. Adelph. 209 sqq., 551 sq., 635 sq. 787 sq., 889 sq. al.) astant neque ullum usquam verbum proferunt. Praeterea nullam causam in oratione Sophoclidiscae videmus, cur Lemniseleni verba miser est qui amat tribuantur. Ex versibus quidem, qui sequuntur, nemo conicere potest Lemniselenem quidquam dixisse. Immo vero versu 181 indicatur Sophoclidiscam non paulo ante a Lemniselene abscessisse (cf. Rud. 403—405 412). Quare nobis multo verisimilius videtur esse haec quoque verba Sophoclidiscae fuisse, quae ex Lemniselenis aut omnino amantium sententia proferret ad ea statim refellenda his: certo is quidem nihilist, qui nil amat et iis, quae sequuntur.

Persa 268: Virtust, ubi occasio admonet, dispicere. Quid faciet mihi? Ex v. 266 sq. Nam id demum lepidumst, triparcos homines, vetulos, avidos, ar[i]dos Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale patere videtur non dispicere, sed disicere (h. e. dissipare, disperdere) scribendum esse. Neque enim quadrare puto inter se admonet et dispicere; dicitur quidem recte dispicere, ubi occasio est, sed, nisi fallor, minus bene, ubi occasio admonet. Deinde sententiae verbi dispiciendi vis enuntiati, quod sequitur, interrogativi: quid faciet mihi? minus apta est. Quod recte se habet, si antecedit: virtust, ubi

occasio admonet, *disicere*. Cf. de verbo *disiciendi* Mueller ad Caelianam 16, 37: *dide ac disice*. Ceterum in codice Ambrosiano non est satis certa scriptura (nam DISPICERE praebet Studemundi Apographon). ..... .

Poen. 187: *Ita decipiemus fovea lenonem Lycum*. Plautus ludit in vv. *lycus* (lupus) et *Lycus*, ut vocabulum *fovea* indicat (« *fovea rustici lupos capere solent* »). Sed, ut lusus verborum vere Plautinus fiat, substantivum *lenonem*, quo ille turbetur, alii aptiori vocabulo locum cedere voluerim. Nam quamquam Plautus sescenties lusit verbis forma inter se similibus, sententia dissimilibus, velut Men. 286. Curc. 587. Amph. 303-5. 325 6. 348 - 9. Asin. 907 - 8. Capt. 577 - 8. Cas. 326 —7. 497. 853. 979—80. Cist. 188—9. 731—2. Epid. 25. 629. Curc. 599, ubi praeferenda nobis videtur Acidalii interpunctio, Poen. 689—92. 292—4 al., tamen in tanto numero vix invenias ullum similem huic, de quo agimus. Quam ob rem Plautum scripsisse putamus

Ita decipiemus fovea lepide τὸν λύκον, cf. Leonis app. crit. et v. 648: *Canes compellunt in plagas lepide lupum* (λύκον).

776: *Lupo agnum eripere postulant*; Stich. 126. Facile autem mea ex sententia locutio *lenonem Lycum* ex aliis versibus (157, 200, 591, 742) in hunc locum irrepere potuit.

